



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117867**

§. 10. S. Aldricus pulsus & restitutus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

libet vero, cui conscientia objiceret, quod iracundia, odio, ambitione aut aliquo alio pravo affectu rem egisset, oportere secreto confiteri, ut pro gravitate peccati sui a Sacerdote judicaretur. Jejunium vero universale triduanum indixerunt, tum ut peccata sua voluntaria vel subreptitia, aut fratrum suorum occisorum expiarent, tum ut Divinum auxilium in futurum etiam tempus sibi pararent. Hoc jejunium lubenti animo servatum ab omnibus.

## §. X.

*S. Aldricus pulsus & restitutus.*

Inter alias turbas, quæ Ludovici pii obitum secutæ sunt, eodem anno octingentesimo quadragesimo seditio contra Regem Carolum in Provincia Cenomanensi, ad ipsius Ditionem pertinente, commota recensetur. Aldrico Episcopo Cenomanensi semper Carolo Regi, cujus juventutem ne unquam destitueret a Ludovico parente ipsius rogatus fuerat, fidem servante, Sigismundus Abbas ad S. Calasium rebellibus junctus est, ut sententiæ a Ludovico Imperatore ante biennium latæ, qua istud Monasterium Episcopi Jurisdictioni subiciebatur, effectum eluderet. Ausi sunt rebelles ab Aldrico postulare, ut sibi fidem juraret, promittentes, se ea conditione ipsius Di-

Sæculum IX.

A.C. 842.

*Gest. S.*  
*Aldr. c. 52.*  
*57. tom. 3.*  
*Caluz. p.*  
*140. 145.*

gnita-



Sæculum IX. gnitatem defensuros, & non nihil adje-  
 A. C. 842. cturos potentia. Verum Regi Carolo

*Sup. Lib.*  
*XLVII.*  
 §. 52.

in extremis adhærentem eodem anno,  
 Pontificatus sui octavo e Sede sua ejece-  
 runt. Domus Episcopalis a seditiosis di-  
 repta, equi numero octoginta, & pec-  
 corum variorum corpora ducenta aba-  
 cta, annona, quam hospitibus & paupe-  
 ribus alendis comportari jusserat, ave-  
 cta, hospitia septem ab Aldrico ædifica-  
 ta, funditus everfa. Aliæ ædes relictae  
 sunt imperfectæ, nempe Ecclesia Cate-  
 dralis, etsi eam jam anno octingentesimo  
 trigesimo sexto solemnî ritu dedicasset,  
 claustra etiam Canonicorum, & quinque  
 Monasteria. Non omnia illo tempore  
 hospitia ad solos pauperes suscipiendos  
 erant destinata; sed eodem nomine vo-  
 cabantur omnes ædes, in quas pere-  
 grini suscipiebantur. Et unam ejusmo-  
 di Domum Aldricus Episcopus quoque  
 condiderat, in qua advenientes Episcopi,  
 Comites, Abbates diversabantur; imo  
 huic hospitio juncta quoque erat Ec-  
 clesia.

*Gest. c. 44.*  
 p. 107.

Aldricus Episcopus rebus omnibus  
 exutus sequebatur Carolum Regem, qui  
 hoc primo anno Cenomanenses ad offi-  
 cium compellere frustra conatus est;  
 quippe majora alibi gerenda erant. At  
 anno sequente octingentesimo quadrage-  
 simo primo, Lothario ad Fonteniacum  
 devi-



devicto, ipse in illam Regionem copias duxit, Episcopum in Ecclesiam Cenomanensem restituit, eique Monasterium S. Calasii sententia solemni ritu pronuntianta reddidit.

Sæculum IX.  
A. C. 842.

## §. XI.

*Fratres Regnum dividunt.*

Anno sequente octingentesimo quadragésimo secundo duo Reges Ludovicus & Carolus amicitia conjunctissimi venerunt Aquisgranum Imperii Francorum Caput. Hanc civitatem Lotharius proelio victus petierat, & inde perrexit in Saxoniam; ubi ut jacturam militum repararet, rebus propemodum desperatis, Stilingis, numerosissimo Saxonum populo, potestatem fecerat, ut eligerent, an antiquis suis legibus, vel illis recentioribus, quas a Francis acceperant, vivere vellent. Ita populus ille, data sibi libertate usus, ad Idololatriam reversus est. Agros quoque Lotharius & fundos latissimos Herioldo Danorum Duci concessit, Christianos & Ecclesias Dominationi Gentilium subjiciens.

Nith. lib. 4.  
init. Ann.  
Bert. 481.

Itaque duo Lotharii Fratres, cum Aquisgrani versarentur, pensare cœperunt, quid de Provinciis a Lothario derelictis facerent, & visum est piissimis Principibus ad consilium adhibendos esse Episcopos & Presbyteros, qui non pauci nu-

*Hist. Ecclesiast. Tom. XI.* Bb mero